# DISSERTATIO INAUGURALIS
*DE*
# RETORSIONE INJURIARUM VERBALIUM

*QUAM*
DEO OPT. MAX. ANNUENTE
*EX DECRETO ET AUCTORITATE MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRI ACADEMIA JULIA*
PRÆSIDE


DN. JOHANNE EICHELIO
CODICIS PROFESSORE CELEBERRIMO, COLLEGII JURIDICI NUNC SENIORE AC DECANO SPECTABILI &c. &c. &c.
PATRONO AC FAUTORE SUO MAXIME VENERANDO.


*PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS*
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT


CONRADUS BONNIUS
BODENBURGENSIS,


*IN JULEO MAGNO*
AD DIEM XX. FEBR.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS.



---


*HELMESTADII,*
Typis HENRICI DAVIDIS MÜLLERI Acad. Typogr.
Anno CIↃ IↃCLXXIII.

I. N. D. J. C.

QUùm Lector benevole, semper extiterint: proh dolor! jamque existant malè feriati & scelerati homines; qui bonorum ac proborum famam conviciis suis virulentis traducere ac sugillare student: quibus, etsi à cordatoribus statim fides non adhibeatur, tamen apud imperitam & credulam plebem facilè innocentibus aliqua suspicio latentis vitii ac contemptus creatur: ideò publicæ tranquillitatis conservandæ causâ, ob hominum crescentem malitiam, pravamque conviciantium libidinem coercendam, remedium retorsionis expeditissimum opportunè invaluisse videtur. Ast sicuti saluberrima pharmaca immodicè sumpta non minùs quàm ipsa cicuta queunt esse noxia; adeò ut ægrotus facilius mortem sibi conciliare, quàm illis sumptis, salutem quærere videatur: Ita quoque retorsionis, quam diximus, tramites transiliens, famam suam non tantùm maximo exponit periculo, verùm etiam eò sæpe numero adigitur, ut ipsam cum fama etiam perdat. Hinc plerumque consultiùs injuriam potiùs ferre, quàm eam majori ulcisci incommo-

do, & servare pacem etiamsi minùs æquam. Est quidem concordibus sapientiorum suffragiis magni & excelsi animi, omninò calumniis non moveri atque injurias non solùm æquo ferre animo, sed prorsùs etiam negligere. Unde non sine causa Cicero magnopere Cæsarem in eo commendat, quòd nihil præter injurias oblivisci solitus fuerit. Verùm enim verò, cùm teste Augustino, duo in vita mortali maximè sint necessaria, conscientia scilicet & fama, conscientia tibi, fama propter proximum; duo etiam tollendæ injuriæ sive nata, sive data nostro more loquendi deprehendimus remedia: alterum dissimulationis quod JCti vocant, aut remissionis, quam paucis quidem generosa facilitas, pietas, aut charitas christiana persuadent; alterum vindictæ, seu persequutionis injuriarum ad vindictam tendentis, ejusdemque vel *judicialis*, quò actio injuriarum, vel *extrajudicialis*, quô nostra pertinet retorsio. Et *illa* quidem, quoniam maximo litigantium malo ob varias tricas, moras, & dilationes, quæ partium ætates plerumque excedunt, sœpissimè redditur inexplicabilis ac infinita; *hac* verò sub juris tutela, non est quod metuat offensus famam propugnare suam, nec victoriæ diffidat, si defendendi tantùm habeatur ratio; sin secùs, non tantùm nihil proficiet, sed repulso quasi eodem

dem

dem telo planè ut ſuccumbat etiam periculum ſubeſt. Sunt interdum, quos vel ipſa protervia, vel ſola conviciandi libido vexat transverſosque agit; ſunt, qui privatam ſumunt vindictam; ſunt tandem, qui retorſionis ſub ſpecie, deſtinatâ mentis levitate famæ honeſtorum maculam aſpergere unicè intendunt. Singuli horum, quomodo exiſtimationi ſuæ proſpiciant, ſuisque rebus conſulant, tenuis hæc diſſertatio, quam pro conſequenda inſulâ Doctorali, ILLVSTRI HVIVS ACADEMIÆ JVLIÆ Procerum cumprimis, deinde quorumvis bonorum atque eruditorum cenſuræ publicè ſubjicere conſtitui, paucis monſtrabit lineolis. Si humanitùs fortè quid errarum ſit, Tu benevole Lector, corrige; nec enim pigebit unquam, ſicubi hæſitamus quærere, nec pudebit, ſicubi erramus, diſcere. Ut autem conatus hujus mei PRINCIPIVM, MEDIVM, AC FINIS ſis, TE, ſumme DEVS, calidis invoco precibus.

*THESIS I.*

VTi in univerſum omnis oratio ſeu propoſitio, de quacunq; tandem re formetur & pronuncietur, neceſſariò verbis & re, quam verba ſignificant, conſtat: ita etiam omnis lex, ſeu quæcunque propoſitio de

jure formata duabus istis dotibus non potest non esse prædita. Adeoque ut in reliquis omnibus vetus illud non potest non habere locum; sc. *πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρότως ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα*: ita & nos cœptum nostrum à duobus illis, bono cum Deo, & quidem præprimis ab ipsis ordiemur nominibus, cum per illa res ipsa significetur: adeoque sicut rerum potior est cognitio: ita & verborum prior sit interpretatio, oportet. Decian. *in tr. de crim. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 1. Cum verò longè major rerum quàm verborũ sit multitudo, ut sœpè una vox multis rebus significandis adhibeatur, contrà eadem res pluribus efferatur vocibus, una tamen alterâ rem significantius exprimat & ostendat, præsertim si cum re ipsa sonus vocis aliquam convenientiam præseferat, quæ ut plurimùm ficta & ridicula esse solet; jam potissimum nobis circa vocem nostram explicanda erunt sc: an plures voces rem nostram significent, an res nostra aliis etiam vocibus exprimatur, & quæ origo & primaria ejus significandi vis sit. Quæ vulgo Etymologia, synonymia & Homonymia vocantur. Dicitur retorsio *ἀπὸ τοῦ* retorqueo, quod est, ictum vel jactum reciproco, ut: si quis saxum, telumvè adversus se projectum rejicit in adversarium. Et quamvis hæc vox, *retorsio*, apud nullum purioris latini sermonis authorem temerè reperiatur, tamen

men

men non videntur peccasse, qui eam olim in theatrum jurisprudentiæ invexerunt. Cûm termini technici tanquam cujuslibet scientiæ prima principia suâ præpolleant authoritate, à nemine nisi ignorante impunè vellicanda & juxta grammaticorum pueros in supino verbi, *retorqueo*, rectè dicatur *retortam* & *retorsum*. Quam tamen litem non faciemus nostram, licet non ingnoremus, apud Ciceronem, *contorsio*, non *contortio* legi. Usurpatur aliàs hoc verbum à purioribus dictionis scriptoribus pro reflectere. Ovid. 3. Metam.

*Ille dolores ferox in sua terga retorsit.*

Rotorquere oculos ad urbem *Cic. in Catilin. dixit.* retorquere animum ad præterita *Idem.* Sic etiam retorquere crimina dicitur *l.* 14. *Si libertus, ff. de bon. libert.* Quo in significatu etiam nobis hic loci retorquere est: quando nimirum id, quod erat emissum vel intortum in aliquem, ab eodem in emittentem vel intorquentem retorquetur seu reflectitur, cujus varia exempla infra cernere licebit.

II. Vti verò aliæ voces pleræque; ita & nostra plures res significat. Accipi autem solet vox *retorsionis*, vel de retorsione injuriarum verbalium (de qua hic differere nobis est propositum) vel de retorsione juris iniqui, quæ locum habet v g. adversus eos, qui legata, fideicommissa, vel mortis causâ donata ex locis suæ jurisdictioni subjectis aliò

aliò transferri, nisi aliquâ certâ parte detractâ (vulgo Abzug) non patiuntur: quemadmodum nec ea, quæ ad geradam vel res expeditorias, das Heergewette pertinent. Vocatur & aliàs *jus talionis*, quod ex natura æquum censuit *Arist. l. 5. Eth. 5.* imò cujus fons reperitur in Sacro Codice *Luc. 6. v. 31. Quod nos nolumus fieri nobis, id non faciamus aliis;* detectus ab eo, à quo & ratio & revelatio est profecta.

III. Nec minus etiam aliis vocibus effertur. vocatur enim hoc jus aliàs, sed nimis barbarè à Castrensi *in l 1. quod quisque jur. in al. n. 6. retorcutio & intorquitio.* item *reproperatio* ab Anton. Capycio *in Neapolit. deciss.* 58. *n.* 1. & 2. Germanis Eine abgedrungene Ehrenrettung. Dn. Rennemanno, nec non illius propugnatori Dn. Mich. Frider. Lederero magis arrisit in foro inusitata, imò etiam odiosa vox, *recriminatio*, quam Græci *ἀντιλοιδορίαν*, ab *ἀντιλοιδορέω* vocant, verbo quo div. Petr. 1. *epist. c.* 2. *v.* 23. item Sueton. in vita Vespasiani *cap.* 4. usi fuêre. Unde ad palatum suorum actui huic defensionis, nomen, *Remaledictio*, iniquè attribuere maluerunt; quia in tali actu propriè dicendo nulla animadverteretur retorsio: cùm vel non retorqueatur illud ipsum convicium, quod erat intortum, sed, aliud illius vice vel si quid simile, id tamen plerumque sit con-

fictum

fictum. Ex gr. tu mentiris: vel, tu mentiris, ut fur & latro. Verùm adhoc paucis respondendum videtur: perinde haberi, quo tandem nomine jus nostrum appelletur, cùm nomina sint saltim rei significatæ externa signa, rei verò essentiæ nil addant adimantvé, nisi prorsùs in malam sumantur partem. Sicuti enim retorsio ex animo injuriandi facta, reverâ talis non est, sed potius remaledictio; ita illis permissum esto, pro vocabulo, *retorsio*, substituere vocem, *recriminatio*, si modò substantiale injuriæ requisitum scil. injuriandi animus in recriminante (ut cum illis loquar) absit atque deficiat. An verò ista formula: *tu mentiris ut fur, ut latro*, vices legitimæ defensionis sustinere valeat, de eo suo dicemus loco.

IV. Uti autem *actio & obligatio*: ita & retorsio videtur posse dupliciter capi, & pro *jure* retorquendi, & pro ipso retorsionis *actu*. In priori acceptione posset describi, quod sit jus verbalem injuriam propulsandi, adhibito legitimo moderamine, ad honorem famamve conservandum. Ubi generis loco non immeritò posuimus vocabulum *jus*, cùm nullus Jure consultorum negabit, illud non tantùm jus dici seu justum esse, quod Legum positivarum auctoritate nititur, verùm etiam, quod consuetudine rationabili intro-

ductum, atque tot præjudicialibus actibus confirmatum est.

V. In posteriori significatu nihil aliud est, quàm actus extrajudicialis, quo quis injuriam verbalem in ipsum injuriantem honoris sui tuendi, & molestiæ injuriarum actionis evitandæ causâ, legitimè propulsat. Et hoc in sensu maximè de retorsione nos nunc agemus.

VI. Dividique ea solet à nonnullis in *Iudicialem* & *extrajudicialem*. Illam vocant, quæ *l.25. de proc. l.3. I. & I.* allegari solet. Hanc verò, quam nos definivimus, legibus Justinianeis planè incognitam.

VII. Licèt enim nonnulli ex modò allegatis textibus id evincere allaborârunt, iste tamen conatus irritus fuit hactenus. Neque profectò inde id, quod praxis & consvetudo invexit, probare licebit. In allegata *l.3. de Iust. & Iure*, quæ Florentini JCti est, nihil aliud habetur, quam licitum esse, ut vim & injuriam propulsemus. *Nam*, ait, *jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, id jure fecisse existimetur*: Deductum est hoc Florentini responsum quidem ex intimis juris naturalis visceribus; sed quomodo id, quod multi intendunt, exinde probari possit, non apparet, Per vim & injuriam hic non intelligitur contumelia,

aut

aut quam Græci vocant, ὕβρις, quæ actionem injuriarum fundat, *princip. Instit. de Injuriis*, sed omne id, quod præter jus nobis, vel corpori, vel bonis nostris infertur; id verò ad contumeliam, quam longè aliâ & quidem commodiori ratione repellere possumus, velle extendere, videtur esse altioris indaginis. Quod Civilia jura defensionem privatis, etiam cùm occisione aggressoris conjunctam, impunè concedant, propter præsens periculum vitæ, quod aggressi timent, permissum censetur: & quòd judex absque præsentissimo vitæ periculo non possit adiri & auxilium ejus implorari: ast in injuriis verbalibus omne id cessat, & nullum in mora est periculum. Ideoque hujus quidem legis dispositionem ad retorsionem injuriarum verbalium facilè & temerè extendere non licet. Illud autem faciliûs concedimus, posse secundùm nonnullos *ex dict. l.* deduci argumentum, verbis injuriam repellere non esse injustum, cùm procurator propterea quod domino responderit, *tu mentiris*, non culpetur *Bart. & alii Dd. in d. l.* Struv. *de vindict priv. cap. x. Aph. 6. n. 5.* Tametsi Legem dictam longè commodius aliter interpretari liceat, uti multis supra ostensum.

IIX. Quicquid verò sit, cùm retorsionem, qua de nobis sermo est, per actum extrajudicialem de-

finierimus, illi quidem jam allatam divisionem aptari haud posse, satis patet.

IX. Hanc autem retorsionem partim ex Naturali; partim Civili jure arcessere licet. Jus naturæ quod attinet, expeditum est illo admitti omnem vindictam privatam, quæ defensionis gratiâ incontinenti ita fit, ut defensio non excedat offensionem, sed eidem omnino sit æqualis; contrà autem omnem ultionem, quæ tantùm animo ulciscendi fit, atque in alterius dolore acquiescit, illicitam haberi. Cujus quidem ratio non alia, quàm quòd ejusmodi ultio non tam defensionem nostri, quæ jure naturæ licita, quàm aliorum offensionem & damnum intendat, quam Natura omninò prohibet, *Natura enim*, ait Florentinus JCtus, *inter nos cognationem quandam instituit, quapropter alterum alteri insidiari, nefas est l.* 3. *ff. de Inst. & Iure.* Hinc civile jus defensionem omnem jure naturali licitam approbavit & permisit *d. l.* 3.

X. *Textus in l.* 25. *ff. de Procurat.* paulò propius videtur accedere; sed rem tamen & ipse non conficit, Quæstio enim *l.* 8. *sub fin. l.* 9. *l.* 10. 11. 12. 13. 14 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. instituitur & discutitur, an & quando procurator vel invitus cogi queat, suscipere judicium; & an & quando

quando mandatum vel ab invito procuratore revocari queat: cujus variæ causæ, inimicitiæ capitales, adversa valetudo, longa peregrinatio, præsentia Domini, hæreditas superveniens &c. nec non etiam tempora litis contestatæ & non contestatæ afferuntur: Et tandem in *l. 25. in pr.* subjicitur, illa omnia sc. quæ allata sunt, locum habere *tam in persona rei, quàm actoris*: Sed si Dominus desideret propter allatarum causarum aliquam mandatum procuratoris revocari, & illum à causâ removeri, & fortè falsò alleget causam, & vel adversarius h. e. vel reus, vel actor, vel ipse procurator dicat, *Dominum mentiri*, sc. dum falsò illam causam putativam allegat: ut si Dominus dicat, meus procurator colludit cum adversario meo; quæ non exigua est injuria: Et ei vel adversarius, vel procurator replicet: Tu mentiris, me cum adversario, aut cum procuratore colludere. Quid jam faciendum? Respondet JCtus, *apud Prætorem hoc finiri oportere*. Quod quidem ex more & constitutione veterum judiciorum aliter fieri non poterat.

XI. Quædam enim olim à Prætore in jure expediebantur; quædam à Judicibus pedaneis in judicio. Coram Prætore omnia expediebantur, quæ litem contestatam præcedebant, aut causam

in eum ſtatum redigebant, ut lis pro conteſtata haberetur. In judicio autem ea fiebant, quæ litem conteſtatam ſequebantur, & per eam judicium firmabatur. Si ergo lis inter procuratorem & Dominum intercedebat, an is removeri debeat, nec nè, & dominus quidem contendebat illum removendum eſſe ob cauſam fortè falsò allatam, procurator autem negabat, & dicebat Dominum mentiri, ea lis in jure apud Prætorem, non verò à judice Pedaneo in judicio finienda erat.

XII. Nec movet & impedit ratio dubitandi, quaſi procurator prorsùs non ſit audiendus à Prætore, cùm eo ipſo, quod ſe ingerat invito Domino, videatur ſuſpectus, & ex hoc capite ſc. ſuſpicionis, ſtatim ſine ulla cauſæ cognitione ulteriori ſit removendus. Verùm reſpondet JCtus procuratorem nihilominus eſſe admittendum, non quod velit retinere procurationem, id enim propter ſuſpicionem dictam fieri non poteſt: ſed quod oſtendat falſitatē cauſæ, quam Dominus allegavit, adeoque pudorem ſuum, quem Dominus ipſi lædebat, dum eum cum adverſario colludere comminiſcebatur, purgare volens: ferendus enim eſt is, qui negat ſibi impactum crimen, & ſuum pudorem purgat, præſertim in judicio, ubi de jure litigantium eorúmque innocentia diſputatur. Quapropter

propter Procurator dicit, falſam illam cauſam eſſe, quam dominus allegabat, non, quod procurationem retinere velit, ſed eâ æquo carere animo, modò id fiat illæſâ ſuâ exiſtimatione: quod fieri non poſſet, niſi cauſam illam falſam eſſe apertè profiteretur.

XIII. Jam uti in omnibus reliquis judicii partibus uſu venit, ut quod facti eſt, & ab uno litigantium negatur, ab altero ſit neceſſario probandum, aut ſi non probet, habeatur pro falſo: ita quoque hic in jure apud Prætorem factum; adeoquè mirum non eſt, procuratorem, qui Dominum mentiri dixit, propterea quod falſam cauſam allegaverit, ob quam removeri volebat procuratorem, nec Dominus veritatem ejus probavit, propterea eſſe ferendum: h. e. impunè tuliſſe hanc contradictionem. Adeoque hic planè nihil novi videtur ſtatutum, quod non in aliis judiciis omnibus olim obtinuerit & hodie obtineat. Quoties-cunque enim pars litigantium alteri crimen impingit & quidem falsò, ei altera pars licitè contradicere & id falſum eſſe, & per conſequens eum mentiri, impunè aſſerere poteſt.

XIV. Quapropter primaria intentio hujus legis 25. eſt, quod procurator Dominum mentiri dicens, quod falſam cauſam alleget, ob quam à

procu-

procuratione removeri debeat, audiendus sit, non ut retineat procurationem, sed ne læsâ existimatione abeat à cura, ferendus, si pudorem suum purget & crimen ipsi impactum neget. Quùm enim crimen objectum non probatur, idem est, ac si objectum non esset: & dimittit quidem procurator hoc casu procurationem, sed tamen illæsâ existimatione, propterea quod pudorem suum purgaverit, & se à crimine collusionis liberaverit.

XV. Hæc quidem genuina & vera legis mens est. An autem exinde jus Retorsionis, uti hodie in praxi obtinet, extruere liceat, aut saltim secundùm mentem in hac lege contineatur, (verba enim notoriè deficiunt) vehementer dubitare licet. Primò accuratè discutiendum erit, quid sit mentiri, & quid per verbum mentiri, intelligatur: & quidem, uti hic terminus à nostris in nostra disciplina capitur Franciscus Connanus *in lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 1. ac Raphael Cumanus *in l. si quis extraneus ff. de Acquir. possess.* tradunt mentiri nihil aliud esse, quàm contra mentem suam ire; h. e. factis vel verbis id exprimere, de quo mens seu animus longe aliter sentit, & quidem in alicujus fraudem & damnum. In eo enim mendacium à non vero differt; quod illud semper

cum

cum fraude & deceptione sit conjunctum: hoc absque illà esse possit; ut si dicas, numerum stellarum esse parem vel imparem: alterutrum enim horum oportet non esse verum. Porro inter mentiri & mendacium dicere, magna est differentia; cùm fieri queat, ut quis ab alio mendacium in alicujus fraudem & deceptionem confictum accipiat, & sine fraude & deceptione, fortè verum putans evulget; mentiri verò nemo absque dolo potest.

XVI. Mentiri ergo nihil aliud erit, quàm aliquid, quod quis falsum esse scit, nihilominus in alicujus fraudem, ignominiam, vel damnum fingere & in vulgus spargere. Et de quo constat, quod tale quid dolosè suscipiat & fingat, eum licitè mendacii arguere, aut quod mentiatur, dicere licet; idque jure optimo maximo. Cùm enim is non verecundetur illa, quæ novit esse falsa in mei ignominiam, damnum & detrimentum malitiosè fingere; quare mihi non liceat scapham scapham appellare, & id, quod nullo alio nomine venire potest, suo designare charactere, & crimen, quod mihi impingit, à me amoliri? Procurator in casu legis nostræ nihil aliud dicebat, quàm quod dominus, qui causam: quam falsam esse sciebat, in ignominiam ejus dolosè commi-

nisceretur, ob quam cum famæ suæ jacturâ à procuratione removeri debeat: adeoque mentiretur; qua propter JCtus respondet eum & audiendum & ferendum esse, quod pudorem suum purgare; & non quidem procurationem retinere, sed saltim illæsâ existimatione ab eadem abire voluerit. Ex quo textu nihil aliud colligi potest, quàm si falsa causa fingitur, ob quam procurator removeri debeat, licere procuratori illam falsam ostendere, & ei præsumtionem illam juris, nempe, quod invito domino se ingerere velit & propterea suspectus fiat, non obesse, cum illud propterea non fiat, sed in hunc saltim finem, ut illæsâ existimatione à procuratione discedere ipsi liceat. Hinc audiendus & ferendus est.

XVII. Nec minùs etiam expendendum est, quare sit audiendus; quod tamen supra satis est expositum; & quare ferendus, h. e. impunè abeat, quod dominum mendacii, cujus reus erat, arguat. Et quare dicatur suum saltim purgare pudorem. Pudor Aristoteli nihil aliud est quam *perturbatio animi, sed dolor de iis, quæ dedecus inferre videntur.* Donatus pudorem malè facti: Verecundiam verò recti & honesti esse definit. In legibus Romanis pudor ferè idem, præcipuè tamen multis in locis existimationem & famam denotat, ut in

ut in *l. 20. ff. de his qui notantur. infam. l. 1. §. 5. usq; adeò* Item *l. 15. § generaliter ff. de injur. l. 28. C. de Bonis auctoritate Iud. possid.* in *l. 25.* nostrâ pudor etiam nihil aliud, quàm ipsam famam & existimationem significare videtur. Purgare autem quid sit, facilè liquet. Propriè loquẽdo est tollere sordes, quibus quid inquinatum vel fœdatum est: ut purgare viam publicam; h. e. sordes & colluviem ab eâ removere, & ad libramentum proprium redigere *l. 2. ff. de via publica.* Quo sensu dicimus rivos purgare, h. e. immunditiem superfluam ex illis tollere. *l. 1. §. 7. purgandi verbum. ff. de Rivis.* Sed propria hæc significatio vocabuli purgandi ad res civiles, quæ ex se & suâ naturâ immateriatæ & incorporeæ sunt, per metaphoram transferri cœpit, & varias patitur significationes. Mox enim solitariè usurpatur, se purgare, & tum idem est, quod se excusare & ostendere suam innocentiam, ut *l. 15. qui reus. §. 5. ff. de publ. judic. in princ. l. ult. ff. de acquir. rerum Dom.* Et quoniam anterioribus seculis vel duello, vel aquâ fervente, vel ferro candente & ignito suam innocentiam ostendere conabantur, modus ille purgatio appellabatur, quæ tum duplex, & vulgaris, & Canonica obtinebat, de quâ *in Decretal.* integri tituli extant. Eodem sensu hodie juramentum purgationis seu

Purgatorium dicitur: & similiter indicia purgari dicuntur. Aliquando cum adjecto usurpatur, & tum pro conditione adjecti iterum varias admittit significationes. Sic dicitur purgare moram *l. 8. l. 14. de Novat. l. 73. §. fin. l. 91. §. sequetur ff. de verbor. obligat.* Purgare provinciam malis hominibus. *l Præses ff. de offic. Præsid.* Purgare innocentiam *l. 22. ff. de jure fisc.* Item purgare existimationem *l. 1. §. 6. quoties ff. de injuriis.* Hoc sensu in l. 25. nostrâ capiendum est, purgare pudorem: h. e. famam & existimationem suam à maculâ, quâ quis aspersus erat, mundare. Adeòque nullus alius sensus inde erui potest, quàm quod procurator dicens dominum mentiri, se ab illo crimine collusionis impacto liberare & famam suam defendere voluerit.

XIIX. An verò exinde, ut supra cœpimus dicere, jus retorsionis, ut hodie quidem obtinet, derivari queat, meritò vehementer dubitamus. Præterque enim, quòd ab eo, quod in jure olim coram Prætore fiebat, ad extra judicialem illum modum honorem & existimationem suam defendendi, qui hodie per retorsionem est invectus, nullum capere liceat argumentum; longè aliud est purgare pudorem h. e. famam suam defendere, quàm crimen sibi impactum in alium

retor-

retorquere. Retorsio enim hodierna non est contenta purgatione pudoris, h. e. ut ostendamus falsum esse, quod nobis impingitur: verùm simul crimen quodcunque demum sit, in eum, à quo nobis imputatur, retorquet; quod in *l.* 25. non fiebat. Nequè enim procurator collusionem, cujus à Domino insimulabatur, in eum retorquebat; sed tantùm eum mentiri ajebat; sufficere sibi putans, si pudorem purgasset. Verùm nostra retorsio omnia crimina & delicta, quæ nobis sive verè sive falsò impinguntur, indistinctè & promiscuè in autores suos retorquet, eosque illorum reos agit. Quæ tamen intentio ex *l.* 25. nunquam erui poterit: ut alia omnia taceamus, quæ præter hanc legem simul fuêre introducta. Quapropter ex his quidem textibus id, quod communis sententia vult, nunquam deducetur.

XIX. Uti verò in confesso est defensionem privatam non tantùm ad defendendum vitam, sed res etiam, quæ aliàs judicialiter vindicari possent, pertinere; ità nihil obstat, quò minùs facultas defendendi famam sit licita; quippe quod minus damni & incommodi accipit, qui res, pecuniam, aut etiam vitam amittit, quàm qui famam. Vitam igitur quisquis eripit, rem adimit, quâ nullo etiam auferente diù frui non po-

 teramus:

teramus;at verò famam eripiens,re immortali nos spoliat. Pro bonâ enim famâ tuendâ unusquisque summis viribus, summâque animi contentione laborare solet & debet. *arg. l. 36. §.10. ff. ad SCt. Trebell.* cùm ea res sit inæstimabilis,& omnium pretiosissima *l.104. de R. I.* Vnde vulgatum illud distichon:

*Omnia si perdas, famam servare memento:*
*Quâ semel amissâ, postea nullus eris.*

Et Germanorum proverb. Gutt verlohren nichts verlohren/Blut verlohren etwas verlohren/Ehre verlohren alles verlohren. Quò etiam pertinet: *quod crudelis audiat, qui famam suam negligit:* unde Cic. *lib 3. off. dicit, eum qui non defendit nec obsistit, si potest, infamiæ, tam esse in vitio, quàm si parentes aut amicos aut patriam deserat.* Verbo, non minori curâ & studio honor ac famæ integritas nobis, quàm vita ipsa cordi esse debet. *l.8. §.2. ff. quod met. caus. d. l. 9. ff. de manumiss. vindict.* Ergo ut in defensione vitæ & rerum vis vi rectè opponitur, ita in defensione famæ injuria injuriæ; cum *res* longe viliores sint, ipso honore, quem, omnium bonorum maximum esse rectè dixit *Arist.* 4 *Eth.* 4.

XX. Sed ais: famam nostram per convicia ac contumelia privatorum reverâ non auferri, neque veram infamaim nobis inferri posse *l. unic. C. Iustin. l. 1. C. Theodosiano de famos. libell.* *Et* Cic. ad-

modum

modum præclarè; *perditi profligatique hominis maledictis nullius gloriam, famam, dignitatemque violari. in Orat. de Aruspic. respons.* Est enim existimatio dignitatis illæsæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui non conviciis, nec hominum privatorum malâ libidine, sed *ex delicto nostro auctoritate legum* aut minuitur, aut consumitur. *l. 5. §. 1 ff. de extraord. cognit.* Proinde ea in potestate ac arbitrio privati nullo modo est, non nisi legibus stans cadensque. *tot. tit. ff. de eis qui not. infam. & C. eod.* Vnde Dan. Moller. ad Const. Saxon. 42. *part. 4. n. 6. & 7.* prudenter scribit: *Quemadmodum existimationi illius, qui nullâ laude dignus est, ipsimet parùm aut potius omnino nihil accedit; ita de honore & existimatione viri gravis & honesti nihil detrahitur verbis injuriosis à levi quopiam calumniatore in eum prolatis,* uti apud Germanos vulgato quoque proverbio id confirmari solet: **Es gilt mir gleich ob mich eine Hure lobet/oder ein Schelm schilt.** Hinc exercitatiores ac cautiores advocati in libellis injuriarum solent scribere: Er hat sich unterstanden so viel an ihm gewest Klägern an seinen Ehren zu schmähen/oder zu verkleinern/non verò Er hat Klägern an seinen Ehren geschmähet oder verkleinert/& sic quantum in ipso fuit honori actoris detrahere conatus est, quod nimirum intelligant reum, ut maxime voluerit, ho-

rit, ho-

rit, honori tamen actoris detrahere quicquam nequivisse. Unde tanquam ex perenni rationis fonte videtur sequi; quòd, ubi nulla offensio seu læsio, *famæ scilicet*, ibi quoque necessitas defendendi, h. e. defensio extrajudicialis locum habere nequeat.

XXI. Hæc omnia optimè dicta & ex ipsis visceribus juris naturalis & civilis sapientiæ depromta; si fundamentum honoris, quod in nobis est, spectes. Est autem fundamentum omnis honoris nihil aliud quàm virtus & quidem benefica, quâ aliis prosumus & prodesse possumus, uti solidè more suo demonstrat Aristoteles. Quò major in homine deprehenditur virtus benefica, eò major ipsi exhibetur honor; quod quidem non tantùm ratio evincit, sed experientia testatur. Contrà licèt summa in homine emineat virtus, puta summa scientia rerum contemplativarum, quâ tamen mortalibus luculenta & in oculos incurrentia beneficia non exhibeat, exiguus ipsi defertur honor, ut quotidiana experientia testatur. Quapropter benefica virtus, quâ aliis prosumus & prodesse possumus, fundamentum est omnis honoris, quod in honorato necessariò esse oportet; quod quidem ab eo nullis calumniis, nullis injuriis tolli potest, & hactenus quoad fundamen-

mentum hoc, veriſſima ſunt illa omnia, quæ ex Commentariis JCtorum fuêre allata.

XXII. Verùm cùm ad omnem honorem duo requirantur, & honoratus & honorans, in utroque oportet aliquid eſſe, quod ad honorem exhibendum concurrat. A parte honorati diximus eſſe virtutem beneficam; à parte honorantis, omnibus expenſis & conſideratis, nihil aliud erit, quàm opinio de virtute alicujus benefica: quæ movet honorantem, ut honorato deferat honorem ſignis illis externis, quæ ubiquè locorum ſunt uſitata; quæ pro diverſitate gentium, populorum & locorum quàm maximè variant; de quibus jam quidem dicendi locus non eſt. Quotiescunque enim in homine opinamur inſignem eſſe virtutem beneficam; toties ad eum honorandum ſumus proni: & quò majorem illam virtutem ipſi ineſſe nobis perſuademus; eò majorem honorem deferimus. Hanc opinionem, quam alii de nobis conceperunt, calumniis, obtrectationibus & injuriis, quibus vitia quàm maximè lædentia & nociva nobis ineſſe in vulgus ſparguntur, vel minui, vel prorsùs tolli poſſe non eſt mirum, ſi præſertim ſyncophantiæ illæ & obtrectationes credulas inveniant aures.

XXIII. Quapropter negari haud poterit,

quod communiter, licèt sine solidâ causâ, affertur, per convitia & maledicta ex vulgi opinione & præmaturâ de injuriatis conceptâ suspicione, famam & honestam alicujus existimationem si non aliquâ maculâ, saltim sinistrâ opinione affici & contaminari, juxta illud Terentii; *Calumniare audacter, semper aliquid hæret.* Sc. in opinione hominum Est enim (ut Petrarch. *lib. 2. de remed. dialog.* 25. ait) *fama hominis res delicatissima, quæ sæpe rubiginem levibus contrahit ex causis: Vtque nihil clarius famâ est, sic nihil obscurari pronius, nihilque peregrinarum (ut sic dicam) capacius impressionum.* Adeò ut vel opificum ex observantia injuriati è collegiis, usquedum idoneam satisfactionē sibi præstari curaverint, excludi soleāt. Frantzk *exerc. 12. n. 4.* Vtut isthæc aliis de causis improbata & rejecta sit, Ref. Imper. Polit. de anno 1577. Francof. *tit.* 38 Von Handwercks-Söhnen. § Es sol auch der jenige so geschmähet worden keines weges außgetrieben sondern bey seinem Handwerck gelassen / die Handwercks-Gesellen mit und neben ihm zu arbeiten schuldig sein / so lange biß angezogene injurien und Schmach gegen ihm wie sich zu recht gebühret erörttert worden. Eapropter cùm nihil magis naturale est, quàm unumquodque eodem modo dissolvi, quô colligatum *l. 35. de R. I.* Valde

natura-

naturali rationi etiam conveniens videtur ut quicquid fordium & conviciorum in nos prolatum, eadem viâ eodemque modo in caput maledicum redundet. Cothm. *vol. 4. conf. 11. n. 114.*

XXIV. Objicias porrò; quando ignominiâ vel injuriâ aliquâ afficimur, nullum subesse moræ periculum, & judicis auxilium sine ullo periculo & detrimento commodè expectari posse; secùs verò in defensione vitæ vel rerum; ubi sæpe judicis copiam nullo modo habere possumus: & si illum expectare vellemus, & vitâ & rebus nostris spoliaremur. Verùm sicuti extrema necessitas non ad omnem defensionem privatam requiritur (uti ex defensione rerum apparet satis) sed ad res vindicandas ac recuperandas varia in jure data sunt remedia: Ita non minùs *retorsio* (quæ defensionis species & profectò longè comodior injuriarum actione) quàm privata rerum vindicatio licita est. Cui sententiæ accedere videtur etiam Aristoteles 2. *Rhet. 2.* ἀντιποιοῦντες οὐχ ὑβρίζουσιν, ἀλλὰ τιμωροῦνται. h. e. *referentes injuriam non afficiunt injuriâ, sed vindicant injuriam.* Præterea illi ipsi hoc jus quasi infaustum & nefastum imò diabolicum damnantes, istam vindictam privatam, quam pater in adulterum cum filia exercet, non possunt non admittere, ut videre est *in tr. de Iur. retorf. Rennemanni.*

*manni th. 4 p. 2.* Cujus tamen causa extrema necessitas non est.

XXV. Et licèt haud pauca scripturæ dicta huic nostræ sententiæ videantur specietenùs contraria, reverà tamen non sunt. Siquidem sacra pagina illam tantùm prohibet vindictam, quæ in alterius dolore, & proprii odii exsatiatione acquiescit, quæque ex sola irâ & odio, animoque ulciscendi provenit; fit verò legitima retorsio non ultionis, sed defensionis, & ab injuria nos liberandi gratiâ. Unde non minùs permissa, quàm offensio hostis, transfugæ, militiæ desertoris, latronis, furis nocturni, aggressoris, proscripti, stupratoris violenti, adulteri uxoris & filiæ; adeoquè ex quo permissa, non prorsùs privata, sed quodammodo publica est, cùm publicâ fiat auctoritate.

XXVI. Neque propterea dici poterit illicita, quòd retortus per injuriam repulsam aliquando vicissim lædatur, ac verba retorquentis suâ naturâ sint injuriosa. Posito enim, quòd sint injuriosa atque aliquid acerbitatis sapiant, illicò tamen non sequitur: Ergo omnis læsio est factum injustum, & omnia verba per se injuriosa important veram injuriam. Ratio illius est; quia omnes privatæ vindictæ species pro licitis habi-

tæ, imò & ipſæ injuriarum actiones cum tali læſione ſemper ſunt conjunctæ, quæ fit cum conformitate juris, ejusque permiſſu. Et concedamus iterum, quòd etiam injuriâ lædatur ipſe provocans, fit ſaltim hoc ſecundariò; in defenſione autem, non iſtud, quod ſecundario, ſed quod primariò fit, maximè attendendum. Ratio hujus in eo conſiſtit; quòd ſola verba injurioſa ad veram injuriam conſtituendam haud ſufficiant, ſed inſuper ut ſubſtantiale adſit requiſitum, quod eſt ipſe injuriandi animus, *l.5 C. de injur.* neceſſum ſit.

XXVII. Præter hæc etiam Juri Civili adſcribitur retorſio, præprimis verò illi parti, quam JCti uno verbo *conſuetudinem* ſeu jus non ſcriptum, quod ſine ſcripto venit §. *ult. Inſt. de Iur. N. G. & Civil.* appellare ſolent. Nec noſtris demùm temporibus primas egit radices, ſed ab omnibus retrò ſeculis in hoc usque tempus verborum retaliatio, quâ quis quod in ſe falſius, acerbius, immodeſtius, imò injurioſius prolatum erat, in autorem ſuum retorſit, uſu recepta eſt, cujus pauca exempla in majorem veritatis evidentiam afferemus, quorum primum eſto illud Homericum ex Iliad. 20.

*Ὁπποῖόν δ' εἴπησθα ἔπος· τοῖον κ' ἐπακούσαις.*
*Qualem protuleris ſermonem: talem audies.*

Euripides: *εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς ἐρεῖς: ἀκούσῃ πολλὰ κ' οὐψευδῆ κακά: si nobis maledixeris; audies multa; nec illa falsa mala.* Item Terent. *in Andria: si mihi pergit, quæ vult dicere; quæ non vult, audiet.* Div. Hieronymus *ad Ruffin. Nihil,* inquit, *super hoc audies: nisi illud è trivio, cùm dixeris, quævis, quæ non vis, audies.* Idem, *si aliquid ad defensionem meam scripsero: sit in te culpa, qui me provocasti: non in me, qui tibi respondere compulsus sum.* Item; *non ego tibi: sed causa causæ respondet, et si culpa est respondisse: quæso, ut patienter audias: multò majus est provocasse.* *Sic etiam* Anacharsis *civi Attico cuidam malæ famæ, quod in Scythia natus esset, sibi exprobranti* teſt. Laertio l. 1. cap. 6. reſpondit: *mihi probro est patria; tu patriæ,* Idem quoq; contigit Cæſari Auguſto ex quopiam Adoleſcente Ægyptio illius faciem exactè referente, quærenti; *Maternè sua Romæ aliquando degisset?* argutè ille crimen matri jocosè intortum, in ipſius Cæſaris matrem hunc retorſit in modum: *nunquam hoc accidit: sed Pater meus non semel Romæ fuit. Erasm. 4. Apoph.*

XXIIX. Vnde luculenter apparet, & hic uſu veniſſe, quod plerumquè evenire ſolet, ut res quædam moribus ac conſuetudine primùm inducta, deinde à Iudicibus & Dd. unanimi aſſenſu firmetur atq; approbetur: cujus rei luculenta in Jure noſtro

depre-

deprehendimus exempla. Videatur præprimis: Nobil.& Ampliſſ.Dn.D.Hahn. in aureis Obſervat. ad Weſenb. *tit. de inoffic. teſtam. n.2.* Renneman. *de jur. retor. p. 1. th.5.* Dn. Struv. *d. diſſert. cap. x. aphor. v 1. de vind. priv.*

XXIX. Hæc quidem ad aſtruendam retorſionis juſtitiam, ex communi JCtorum ſchola afferri ſolent; quorum tamen multa id, quod intenditur, haud evincere, diſſimulare non poſſumus. Hoc ambabus largimur manibus, jure naturæ licitum eſſe, criminis, quod nobis intenditur, falſitatem oſtendere, & criminantibus apertè impingere, quod mentiantur: quod & Servatorem noſtrum feciſſe, palàm eſt. An verò liceat idem crimen illud, quo nos conſpurcare non verentur, in eosdem retorquere, & illos ejusdem inſimulare, altioris videtur indaginis: certè ex illis argumentis, quæ ex JCtorum ſchola allata ſunt, evinci haud poſſe videtur. Omnia enim, quæ adducta ſunt, ad defenſionem famæ tendunt; quæ ſatis ſuperque defenſa eſt, ſi oſtendamus adverſarios noſtros calumniari & mentiri. Hoc verò clypeo retorſio noſtra non eſt contenta, uti praxis docet. Quapropter altiùs principium quærendum eſt, ex quo juſtitiam retorſionis, ut hodie quidem obtinet, ſtabilire liceat. Scilicet in genere præſertim morum; omnes homines jure na-

turali

turali sunt æquales, & ut Florentinus loquitur, quasi inter se cognati; ita ut alter alteri honorem, qui nihil aliud quàm opinio de alicujus virtute benefica est, minuere, violare, aut detrahere prorsùs non debeat; & si minuit, violat, aut detrahit, adeoquè potestatem sibi in sui æqualem sumit, quæ ipsi nullo modo competit; eo ipso illi, cujus honori detrahere conatur & reverà detrahit, eandem potestatem concedit in sese, ut sc. ille eandem adversus se exerceat, quemadmodum adversùs ipsum exercuit. Cùm autem ipsi placuit conviciis eum incessere, iisdem & ipsum afficere licet Hæcque omnia ex unico illo fundamento juris dependent, nempe, *æqualibus æqualia debentur*, inter quos jus talionis, secundum quod Rhadamanthum justissimum inferorûm judicem judicare Stagirita arbitratur, justissimè observari potest. Quod etiam Deus Ter opt. maximus non tantùm in Rep. Hebræorum per Moysen disertè constituit; sed idem quoquè in novo fœdere repetiit, dum apertè edixit, *cuique metiendum esse illo modo, quo ipse alteri mensuravit*: quo ipso nihil aliud, quàm jus talionis significavit. Quum ergò extra judicialis ille modus, famam & existimationem suam defendendi in nudis defensionis terminis haud subsistat; apparet illud longè rectius ex jure talionis, quò nititur Edictum Romanum: *Quod quisque ju-*

*ris*

*ris in alterum &c.* posse deduci. Quùm enim injustum sit alterum incessere conviciis, & tamen injurians id sibi adversus injuriatum sumit; si idem injustum injuriatus adversùs injuriantem etiam sibi sumit, cùm eandem potestatem cum injuriante habeat, apparet liquidò injuriantem de injuriâ illâ jure conqueri non posse.

XXX. Dissentit quidem à nostris Doctoribus modò dictus Renneman, & operosè contrà disputat: sed parùm laborandum de iis, quæ quotidianâ praxi refutantur Cævall. *in præfat. pract. quæst. n.* 72. *n.* 88. Sit ut sit, tamen cùm leges Justiniani, quatenus à moribus nostris non approbatæ, non magis nobis jus facere, aut nos obligare possint, quàm Leonis Philosophi, aliorumque Græcorum Imperatorum Novellæ, test. Matthia Stephani *Com. in Novell. proœm. n.* 5. contrà verò observantia approbet illa, quæ etiam de jure non valent. Koppen. *quæst.* 32. *n.* 18. nos communi tanquam veriori, æquiori, & ad abbreviandas lites, commodiori sententiæ adhærebimus, & quidem eò firmiùs, cùm hæc retorsionis doctrina Jure Divino, quantùm ad defensionem famæ attinet, non tantùm non adversa, verùm etiam consentanea videatur. Quippe non solùm S. Propheta Jeremias *cap.* 47. *v.* 13. in

Præfectum portæ insimulatum desertionis crimen per verba: *falsum est, ego non transfugio;* legitimè retorsit, sed summus quoque Justitiæ Sacerdos atrociori atrocissimam calumniam, quam Judæi teste Evangelistâ Johan. *cap.* 8. *v.* 48. in eum projecerant; *Nonne benè dicimus te Samaritanum esse, & dæmonium habere*, in ipsos incontinenti retorsit, regerendo: *Ego dæmonium non habeo: sed honoro Patrem meum, & vos contumeliâ me afficitis.* Item *vers.* 54. & 55. Judæos mendacii arguens dixit. *Ego autem novi patrem, & si dixero me eum non nosse. ἔσομαι ὅμοιος ὑμῶν ψεύστης*, quod Lutherus Germanicè reddit: So wehre ich ein Lügener gleich wie ihr seid.

XXXI. Quùm verò omne in universum jus neque mente concipi, neque sanciri, neque observari, neque etiam secundùm illud judicari queat, nisi & personæ, & res, latissimè hoc vocabulô sumtô, interveniant, quæ certô modô & formâ inter se agunt vel conformatæ sunt, & verò nulla retorsio etiam mente concipi queat, nisi & personæ & res, propter quas retorsiones fiant vel fieri debeant interveniunt; apparet luculentè eum, qui secundùm naturæ ductum, qui nos aberrare non patitur, & de retorquendi jure accuratè agere velit, tria illa potissimùm attendere debere, *personas, res*, & *modum*.

XXXII.

XXXII. De personis prius, sc. & quæ retorquere & adversùs quas retorqueri possit: quod quidem facillimum ex superioribus est collectu. Dictum est hactenus, retorsionem potissimùm spectare famam & existimationem nostram, ejusque defensionem; tametsi, uti ex praxi nostrâ informata est, in ea non subsistat, sed paulò progrediatur longius. Sumamus tamen id, quod potissimum est; nempe defensionem famæ & existimationis, quæ & à virtute, & ejus filiâ, dignitate dependet. Qui enim existimationem suam (h. e. unô verbô, opinionem de virtute suâ benefica, uti eleganter loquitur Stagirita) vult defendere, necesse est, ut talem reverà habeat, & intelligat se habere, & ab altero lædi.

XXXIII. Quapropter hanc majorem licebit formare. Quicunque ejus sunt conditionis & ætatis, ut reverâ habeant integram existimationem, eamque ab aliis lædi intelligant, illi omnes, si læditur ipsorum existimatio verbali aliquâ injuriâ, vel per se, vel per alios, retorquere poterunt. Hic non attenditur sexus, adeoquè non interest, sive sint masculi, sive fœminæ (2) Filiusfamilias, invito etiam Patre *arg. §. 11. Inst. d. I N. G. & Civil.* Harpr. *in §. hac action. n. 127. incip. ex qua conclus.* licèt filius in patria potestate

 sit

fit *l.* 4*: de his qui sui vel alieni jur.* & sine voluntate parentis necquicquam præstare posse videatur *l.* 25. *§.* 1. *de donat. mort. caus.* Nam patria potestas Juris Civilis est, *§.* 2. *Inst. de patria potest.* Uti quidem à Romanis informata est, aliàs, Juris est Naturalis, sed moderata illa, quæ non in atrocitate, sed pietate consistit. Retorsio autem Jur. Natur., quæ Iure civili tolli non potest. *§. ult. inst. de leg, agnat. tutel.* (3) Deportatus *arg. l.* 17. *in fin. de pœnis* Harprecht. *d. §. inst. n.* 153. *&* 154. Nec urget, quòd deportatus ea quæ Iur. civilis sunt, amittat, & pro civiliter mortuo habeatur, unde in judicio agere non possit *l.* 29. § 5 *in fin. ff. de liberis & posthum.* retinet nihilominùs ea, quæ juris Nat. & Gentium sunt *l.* 15. *ff. de interdict. & releg.* Deinde hic non agitur de actione instituendâ, quæ juris civil., sed defensione extrajudiciali, quæ juris naturalis est. (4) Pater injuriam filiof. & uxori illatam proprio suo nomine, non verò filii familias, vel uxoris, retorquere valet. Harpr. *ad. d. §. n.* 135. *&* *n.* 136. Duplex enim hic est injuria, quæ infertur & uxori, & filiof.: & per hos marito, & patri. Quapropter non est mirum, maritum & patrem, proprio nomine injuriam per uxorem & filiumfam. factam retorquere posse. *l.* 1. *per tot. ferè ff. de Injur.* Ibiquè latè Doctores. Berlich.

p. 5.

*p.5. concl. 64. n. 12.* Halbriter. *tract. de injur. cap. 6. de retors. tit. qui possunt. retors. remed. uti sub fin.* (5) Procurator speciale mandatum habens: de generali Dd. ambigunt meritò, cùm ea quæ declarationem animi requirunt, & speciale præjudicium afferre videntur, sine speciali mandato peragi haud possint. *l. 15. §. 26. de injur.* Berlich. *d. concl. n. 15. & seqq.* Quibus ex nostræ majoris ambitu, qui infinitos alios comprehendis, ingens multitudo, addi posset: sed nolumus illas omnes enumerare, quas virtute nostræ majoris jam tum comprehendimus, & ingeniosiori cuique non quidem sigillatim, sed in genere enumeravimus.

XXXIV. Econtrà verò qui vel nullam existimationem habent, vel habent quidem, ab aliis tamen eam lædi non intelligunt, illi licet injuriosum aliquid adversùs ipsos fiat, retorquere non possunt; qualis (1) est Bannitus, quem occidere, quidni multò magis contumeliis afficere licet. *ordin. Cam. p 2. t. q.* §. So jemand. *vers.* So auch. (2) Servi & quidem naturà tales, uti Romani omnes suos habuerunt, tametsi reverâ non fuerint. Illi enim, quoniam per ipsorum corporis læsionem Dominus offenditur, cujus intuitu corpus habere & personæ esse dicuntur *l. 37. l. 20. ff. de R. l.* nec dignitatem nec famam quatenus in se

 sunt

ſunt, habent, *l.1.2. & 4. de his qui not. infam.* de jure civili minimè lædi poſſunt, verùm ſi Ius Naturæ reſpicimus, licèt non dignitas & fama, attamen corpus illorũ injuriâ afficitur. Si verò non ſint naturâ, ſed ſaltim Lege tales, quin & fama & exiſtimatio ipſorum lædi queat, nullum eſt dubium. Fictiones enim Iur. Civilis Naturali Iuri nil derogant, niſi in ſua ſcena addendo vel adimendo. Quapropter quin hodie glebæ aſcripti, vel homines proprii, retorquere queant, nullum eſt dubium. (3) Illi in quos injuria verbalis ſemel legitimè retorta eſt, retorquere prohibentur. Cothm. *vol. 2. reſp. 59. n.*121. Harpr. *d.* §. *n.*211; quia illi non ſunt læſi, adeoquè defenſione non opus habent. (4) Nec infamato verò crimine absq; injuriandi animo jus tale competit; quia famam & exiſtimationem integram non habet.

XXXV. *Ergo veritas criminis objecti ſemper excuſat convitiatorem?* Dolum in hoc apprimè attendendum eſſe exiſtimo, quippe in actione injuriarum non tam veritas convicii, quàm ipſa libido, & voluntas injuriandi reſpicitur, quã veritas non excuſat à pœna. *l. 5. C. de injur.* Gail. *lib.2. obſer. 99. n.*2. Nec impunè licebit publica alicui objicere crimina, ſi objiciens primariò ad vindictam hoc agat; quia ſine prægnanti cauſa defectus & infamiã alterius detegere injurioſum, quin imo inhumanum

num

num esset *per l.3.C.de offic.Rect.prov.l.2.§.1. C. quando & quibus quart. pars.* Sin juris sui conservandi gratiâ in judicio hoc faciat vel Reipubl. intersit delictum manifestari, ac probaverit objiciens, impunè quidem feret; sin aliter, luet meritò. Prolixè Gail. *de Obs.* Quò pertinet quod Dn. Mevius *p.5. Decis.39. n.11.* dicit: Se recordari aliquando in tali casu sententiam fuisse latam, per quam reus ob crimen extra judicium objectum, pecunia ad pias causas mulctatus, actor verò de criminè satis probato ad relegationem condemnatur sit.

XKXVI. Vidimus præcedentibus thesibus, quibus personis jus retorsionis competat, quibusque non; jam eodē ordine servatô de personis adversùs quas retorsio fieri queat: quas iterum facillimè ex superioribus consequemur; si repetamus retorsionem potissimum esse defensionem famæ & existimationis; quæ adversùs alios per rerū naturā suscipi nō potest, quāadversus eos, qui intelligunt, quod sit læsio famæ, & nullo jure tamen scientes & volentes illā lædere conantur. Atqui tales omnes sunt mentis compotes dolique capaces, quiq; intelligūt, quid sit injuria verbalis, sive humiles; sive in dignitate positi *arg l.fin.C.de injur.* Qualis (1) Magistratus non ratione officii, sed privato quodam affectu conviciis subditum afficiens, *arg. l.5. de*

*Iur.*

*Iur. Fisc. l.32. ff. de injur. & fam. libell.* (2) Ministri Ecclesiæ, si scilicet Magnorum excessuum & atrocium arguantur injuriarum, quas privato magis odio ac libidine calumniandi, quàm corrigendi ac monendi studio è sugestu protulêre. *arg. l. 15. §. 2. ff. de Injur.* R. A. *de anno* 1530. §. Wir haben 55. item *de anno* 1542 Damit aber 41. (3) Parentes ac Præceptores correctionis modum transgredientes *arg. l* 5 *§. ult. ad L. Aquil.* Berlich. *concl.* 64. *n.* 20. (4) Doctores ac Nobiles, &, quidem uterque tam injurians quàm injuriatus sit nobilis, sive injuriatus sit saltim plebeus, vel inferioris conditionis, Berlich. *d. concl.* 64. Quibus iterum innumerabilis multitudo posset addi, si eorum catalogum edere placeret. Verùm in formata nostra Majore omnes continentur.

XXXVII. Ex quâ simul facile elucet, adversùs quos retorqueri non possit, licet, si alii protulissent adversùs nos, injuriosa essent, sc. qui non intelligunt, quid sit injuria, neque animum etiam nostram existimationem lædendi habere possunt. Intter quos primo intuitu se offerunt impuberes, furiosi, aliique doli non capaces *l. 3. §. 1. ff. de injur.* (2) Dormientes, qui furiosis & mente captis æquiparantur *l. 1. §. 3. de acquirend. vel amittend. possess.* (3) Ebrii in summo ebrietatis

gradu

gradu conſtituti, qui non ex propoſito ſive dolo, ſed impetu quodam, vini quoque ignoratâ vi decepti inebriantur. *arg. l. 13. §. 3. ff. de pœn.* Denique (4) Pater & filius, ſicut & Præceptor & diſcipulus, quòd regulariter iis, qui jus corrigendi & caſtigandi habent, quibusque reverentia debetur, reſiſtere non licet, ſi terminos caſtigandi non excedunt *l. 3. C. de patr. poteſt.* adde, quod nec actione injuriarum teneantur *l. 7. §. 3. ff. de injur.*; quia famoſa eſt, Gail. 2. *obſ.* 102. *n.* 1. Quæ quidem ſic limitamus, ut jam dictum, niſi liquidò conſtet, Patrem & præceptorem non caſtigandi, ſed injuriandi causâ filium vel diſcipulum ultra modum tractaſſe. Meô tamen judiciô, tutius aget pater & filius, officium judicis implorando, quò filius emancipetur, vel patris nequitia coerceatur, quàm agendô, vel ſibi ipſi jus dicendô. (5) Dominus feudi, *arg. 2. feud. 23. ibi. Vaſallus quàm humiliter;* niſi ratione graviſſimæ injuriæ, *arg. 2. feud. 22. §. ſimiliter; & 2. feud. 22. verb. ſalva reverentia.* Harpr. *ſæp. alleg. §. n.* 176; quia Vaſallo licet ſe, reſque ſuas defendere contra Domini violentiam. Ludolph. Schrad. *tract. de feud. p. 9. cap. 4 n. 114.* Berlich. *d. concluſ. n. 19.* (4) Contra mortuum ſatis ineptè & imperitè à nonnullis conceditur retorſio; cùm jure cautum ſit, quòd mortè inferentis

F inju-

injuriam, tollatur injuriarum actio, *l. injuriarum.* 13. *pr. ff. de injur. l. si enim.* 10 §. *qui ff. Si quis caut. in judic.*

XXXIIX. Hactenus de personis; jam de re; quæ nulla alia est, quàm injuria verbalis dolo commissa: Injuria enim cùm sit delictum privatum in alterius contumeliam dolô commissum *l.* 7. *& ult. C. de injur.* utiq; non sufficit retorquenti, verba per se audiri & videri injuriosa, sed præprimis & principaliter requiritur, ut injuria ex affectu & proposito malo fiat, ac de dolo & animo injuriantis liquidò constet, *l.* 3. *§. ff. de injur.* Qui animus ex ipso dicto injurioso in doli capacibus plerumque præsumitur, ita, ut illum negans, istum abfuisse probare teneatur, *l* 5. *C. d. t.* Sin verba vel facta de suâ naturâ licita, & apertam non continent injuriam, tunc animus injuriandi non præsumitur, sed ab injuriato probari debet. Prosp. Farin. *in sua pract. crim.* 3. *quæst.* 105. *in* 117. Minimè enim licet, ex verbis dubiis & plane innocuis scriptis injuriam elicere, sensumque eorum in sui opprobrium citrà verborum sensum genuinum detorquere; quia crimen est de viro bono, interprete verborum suorum, quæ manifestam non continent injuriam, mali aliquid suspicari, nec unquam injuriarum quis metuit, nisi qui malè conscius (injuriæ sc.) factum dubium in se continentis, eleganter Nobiliss. & Ampliss. Dn. D.

VVol-

Wolderus, in Academia Regimontana Præceptor quondam meus omni obſervantiæ cultu proſequendus *in Tyrocinio, ſuo Criminali Diſſert.* 3.

XXXIX. Quæ autem propriè pro injuriis habeantur, & quæ non, videatur apud Berlichium, *p.5. concl.59. per tot. & 60.* Injuria verò alia *realis* eſt, quæ facto aliquo ad probri & turpitudinis notam variis committitur modis. Berlich. *p.5. concl.59. n.* 81. *& ſeq.* Alia *verbalis*, quæ ore, vel ſcripto profertur *l.1.§.1. junct. l.5.§.9. de injuriis*, cujus variæ itidem extant ſpecies, apud Berlich. *d. concl. n.2. & ſeq.* Hæc autem præſens noſtra retorſio verſatur ſolummodò circa injurias verbales.

XL. *Sed, quid, ſi cum præfatione honoris verbalis alicui inferatur injuria:* meritò acutiſſimus JCtus Bachovius hanc dubitandi rationem vocat ridiculam; quia facta ſemper potentius operantur, quàm verba, quæ cùm per ſe ſint manifeſtò injurioſa, jejunam illam proteſtationem à privato factam operari quid poſſe, in totum negat, niſi præſumptiones aliud ſuadeant, in VVeſenb. *tit. de injur. §.8. n. incip. etiamſi additur.* Nam admiſſum plerumquè voluntatem declarat contrariam. *l.21. ff. de acquir. hæred.* Nec honoris proteſtatio ſalvat verba injurioſa, quæ injuriandi animum demonſtrant. *l.5. C. de injur.* Hinc ille, qui dicit, *mentiris ſalv. honore*, inju-

riarum rectè tenetur; quia is potiùs honorem dicentis, quàm phrasin excusat. Aliter autem res se habet in retorsione, vel si quis pro conservatione suæ virtutis diceret: *falso asseveras*, Ihr redet euweren unwillen dran.

XLI. Sequitur denique modus seu forma, ad quam quatuor requiruntur, quorum deficiente unô corruit tota retorsio, uti ex superioribus itidem patet. Scilicet dictum & demonstratum est, retorsionem esse speciem defensionis; quæ ne mente quidem concipi potest, nisi præcedat aggressio vel offensio, quapropter necessariò hæc præsupponitur, & ubi ea non præcedit, neque quis injuriando provocatus est, retorsio nullo modo locum habere potest. Prætereà cùm defensio sit, necesse est, ut saltim talis adhibeatur, qualis ad depellendam injuriam sufficit; defensiò enim tota, quanta est, saltim spectat ad malum, seu vim & injuriam à nobis amoliendam; nullo modo verò ad malum vel vim alteri infligendam; hoc enim est aggressionis, nisi fortè per accidens, cùm vim & injuriam aliâ ratione à nobis amoliri nequeamus. Si enim talis adhibeatur propulsatio injuriæ & vis, quâ non tàm malum, damnum, & periculum, quod nobis impendere videbatur, profligamus, sed præterea ubi extra omne periculum

consti-

constituti, & ab omni vi & periculo liberi, nihilominùs aggressum persequimur, eique etiam malum seu damnum inferre conamur, non defensio ampliùs, sed aggressio erit: Cùm, uti diximus, defensio saltim ad malum amoliendum, non inferendum tendere debeat. Quam nostri termino technico, *Tutelam*, (quam vocem ex *l*. 3. *de Iust. & I.* sine dubio desumserunt) &, quando terminos seu limites suos non egreditur, *inculpatæ*, & modus ejus *moderamen inculpatæ Tutelæ* appellatur. Cùm verò retorsio sit defensio contrà injurias verbales, liquidò apparet, retorsionem non verberibus, vel pulsationibus, sed saltim verbis fieri oportere; & quidem *in continenti*. Quòd quidem cur hoc fieri debeat in violenta aggressione & corporis & rerum nostrarum, palàm & in propatulo est: quùm sc. defensio saltim permissa sit, eò usquè, donec periculum imminens nullô Judicis auxiliô, sed solùm privatô nisu averti queat; ubi verò intervallum tale intercedit, quô spatium nobis datur, judiciali auxiliô periculum omne avertendi, defensio erit illicita. In verbali verò injuriâ quur etiam defensio *in Continenti* suscipi debeat, ratio non æquè est manifesta. Certè periculum illud, de quo ante diximus, hic cessat. An enim verbales injurias statim, an verò

 post

post aliquot vel dierum, septimanarum vel mensium spatiû vindices, aut Te contrà illas defendas, perinde esse videtur. Verùm quantum quidem con jecturâ consequi possumus, sine dubio vel ad similitudinem defensionis contra vim injustam consuetudine, sine tamen solida ratione & sufficienti causâ hoc est inductum, uti in pluribus rebus usu venit; vel propterea ita receptum, quòd injuriâ affectus, dum injuriam audit, in insignem conjiciatur affectum, qui judicium rectæ rationis adeò obnubilat, ut illi longè facilius sit parcendum, & ut *l.25. ff. de Procur.* loquitur, longè facilius ferendus, qui ex summo illo animi dolore, quem ex injuriâ concepit, injuriam in injuriantem retorquet; quàm si post aliquod spatium, ubi æstus ille deferbuit, idem velit suscipere. Tum enim modo ordinario, ubi magnitudine affectus liberatus est, & ad se rediit, injuriam illam vindicare debebit. Quapropter tria principaliter, & quartum per consequentiam, ad omnem legitimam retorsionem requiruntur. (1) Vt retorquens sit injuriando provocatus (2) Vt verbis fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. (3) Vt fiat incontinenti. (4) Et quod inde fluit, ut fiat non vindicandi, sed honoris defendendi animo, quod tamen (uti jam dictum) potiùs ad requisitorum effectum, quàm ipsa requisita spectare videtur.

XLII.

XLII. Primum requisitum svadet ipsa retorsionis definitio, ubi injuriam illatam retorqueri voluimus.

XLIII. Secundum requisitum nobis exhibet moderamen inculpatæ tutelæ; hoc est, uti jam dictum, ut non progrediatur ulterius defensio, quàm facta fuit offensio: Es sol die retorsio bloß und alleine zur defension und rettung deß beleydigten Ehre / keines weges aber animo injuriandi geschehen. Neque enim unquam injuria aliô modô debet repelli, quàm quò illata est, Matth. Berlich, *d. concl.* 64. *n.* 23. v. g. si te quis *falsum seu inconstantem hominem* appellaret, non illicò eum *nebulonem scelestum, latronem, furem* proclamare; sed eandem injuriam iisdem verbis declinare & retorquere, te oportebit. Unde est, quod si injuriatus retorquendo aliud regerit crimen, vel aliis verbis, fortè atrocioribus, diversum delictum inplicantibus, injuriantem reverberat, ejusmodi retorsio non valeat; quia nimirum hàc ratione nulla injuriarum datur compensatio, sed cumulatio; unde utrique de injuriâ agere licebit. Mynſ 5. *obſ.* 17. *n.* 5. Gail. *l.* 2. *obſ.* 100. *n.* 9. Berlich. *d. concl. n.* 24. David Mevius *in jus Lubec. lib.* 4. *tit.* 4. *art.* 10. Quod ipsum, cum Dominicus Soto egregiò exemplô illustrârit, illud hic asscribere placet: *Postrema*, ait, *super est quæstio, utrum, quando resistere licitum est, tunc fas sit*

*pro*

*pro unâ susceptâ contumeliâ aliam reponere? appellat me quispiam latronem, appello eum sicarium, notat meum genus; noto ego suum ingenium & mores: Et respondetur imprimis, nunquam licere verum crimen, multò minùs falsum, objicere, esset enim mendacium idemq́ perniciosum, de Iur. & I. l 5. qu. 9 art 2.* similiter alicui me nebulonem; furem, adulterum nominanti, simpliciter respondere nefas esset; *tu es Nebulo: vel tu fur, tu adulter*, neque impunè regerere; *tu mentiris ut fur; ut latro*, quantumvis Matth. Berlich. contrarium statuat, ac (quod pace tanti Viri dixerim) absque ullà æquitatis ratione has formulas indistinctè admittat, etiamsi is, qui tali modo mendacii arguitur, neque fur, neque adulter sit. Rectiùs tamen dissentit Dn. Struvius. Nam si injurians injuriatum non appellaverit furem, vel latronem, tunc hæc retorsio non est Legitima, sed ut excessiva punienda venit, uti in terminis terminantibus respondet Wurmbs. *d. tit. de injur. obs. 15.* Et forsitan ipse Berlich hanc sententiam tenet; nam *d. conclus. n.* 23. 24. se non obscurè ita explicat, & præcipuè *num.* 27. Quare illum potiùs cum communi schola consentire, quàm dissentire arbitramur. Multò minùs verbalem injuriam verbere, aut vulnere repellere licebit. Bald. *in l. C. unde vi n. 16.* Quamvis hoc affirmat Cothm. *resp. 34. n. 162.* dicens: licere verberibus retundere injuriam, si est

talis,

talis, quæ non facilè in judicio vindicatur: sed potiùs deridetur. Berlichius autem *d. concl. n.30.* distinguit inter personas, ut, si persona cui objicitur mendacium, sit egregia, vel nobilis, objiciens verò infamis, vel plebeus, tantùm hoc sit licitum. Nos verò simpliciter consentimus negantibus licere verbalem injuriam verberibus repellere; est enim contra omnem defensionis modũ, Wurmbs. *d. tit. de injur. obs.* 15. Interim negare nolumus, mitiùs esse puniendum talem in dignitate constitutum, injuriam hoc modo vindicantem, per ea, quæ notat VVurmbs. *dict. loc.* & Gail. 2. *obs.* 100. *n.* 11. Hinc ipso jure corruit Theorica à vulgo recepta: Auff eine Lügen gehöret eine Maulschelle oder Ohrfeige.

XLIV. Tertium requisitum est, ut fiat in continenti: scil. ex illo tempore, quo quis injuriam, certò rescivit & retorquendo copiam habuit. Gail. *l. 2. obs.* 101. *n* 5. Modest. pist. *cons. 3. n.* 34. *vol.* 2. Menoch. *cons.* 107. *n.* 4. & quò Notarium ad insinuandum habere commodè potuit. Harpr. *d. §. n.* 97. *incip. in continenti. n.* 98. & *seqq.* Si enim quis ipse injuriam audiat, statim h.e. Auff frischer That/ oder auff unverwandten Fueß retorquere debet; Sin absenti inferatur, quàm primùm eam certò rescivit, vel ore, vel scripto in conviciatorem illam retundere debet. Bocer. *Clas.* 4. *disp.* 4. *th.* 46.

 & *clas.*

& *clas. 6. disp. 1. th.* 55. Carptzov. *P. Constit.* 47. *Def.* 11. *n.* 4. Quin etiam retorsio, quæ scripto per instrumentum fit, in continenti peragi debet. Frantzk. *diss.* 12. *n.* 7. *in fin. Ecquid si non præsens sit, cui injuria infertur?* solum tempus notitiæ attendendum hic esse, Dd. unanimiter statuunt: scilicet, quòd tùm pro præsente habeatur, quando à fide dignis viris rescivit inustam sibi injuriæ maculam. Triplici verò modo juxta Dn. Struvium & Berlich. d. loc. injuria retorqueri potest; quorum primus hic est: quando conviciator mendacii arguitur per verba, *tu mentiris.* Nam provocatus ad hunc modum respondens, honoris sui defendendi gratiâ, non injuriandi animo talia protulisse intelligitur. Gail. *d. obs. n.* 3. Jacob. Scultes *addit. ad Modest. Pistor. part.* 3. *q.* 127. *n.* 76. (ubi varios allegat Dd.) Dn. Carptzov. *resp. Elect. l.* 2. *t.* 52. 68. *n.* 6. Vel, quod modestius sonat, *falsum est, quod dicis.* Cujus formulæ exemplum superius ex sacris literis adduximus: ubi scilicet Propheta Jeremias in Magistrum Portæ Jure convicium retorsit: quando ipsi ad falsam insimulationem defectionis ad hostes Chaldæos respondit: *Falsum est, me ad hostes defecturum esse. Ierem. d. cap.* Vel per adagia vulgò trita: *Nosce te ipsum: Tecum habita: In te descende: In tuum ipsius sinum inspue.*

*spue.* Zeug dich selber bey der Nasen / rieche in deinen eigenen Busen / kehre für deiner Thür.

XLV. Sed hic non inconcinnè quæritur, *an etiam retorsio gestibus facta, æquè ut verbalis, valeat?* ut: si injuriatus altero convicia evomente nasum suum apprehendat, sich selbsten bey der Nasen ergreifft / andeutende / daß der Injuriant selbst ein solcher sein möge als wofür er gescholten wird. Vel, si quis digitis explodat conviciatorem, einen schellen oder Knipgen schlage / & dicendum quod sic: (1) quia gestus æquè signa animi sunt, ut verba, neque minus interdum animum declarare possunt, quàm ipsa verba. (2) Quia solus nutus in iis, quæ verba præcisè non requirunt, sufficit ad arguendum consensum dissensumvé. *l. in quibuscunque* 48. *l. obligamur 62. in fin. ff. de O. & A.* Quamvis aliàs constet nutum seu gestus animi mentem ac motum non semper pandere. Vnde est, quod nutus in hæredis institutionibus, stipulationibus, sententiis dicendis, aliisquè similibus, quæ deliberatum, non levem requirunt animum aut consilium; non sufficiant; sed verbis opus sit. *l. 1. §. 1. ibi contra si sine verbis ff. d. V. O.* (3) Quia minis seu gestibus non minùs infertur injuria, quàm verbis, imò major sæpè adfertur ignominia, quæ simul alios ad inferendam injuriam irritat: v. c. si quis Dianæ signum quô Cornuti notari solent, capiti affigat; si me-

 dium

dium digitum alteri oſtendat *l. 39. de injur.* Jacob de Bellovis *in ſua pract. crim. l. 1. c. 3.* Berlich. *p. 5. concl. 59. n.* 124. Ergo nullum dubium ſubeſt, quin geſtibus etiam injuriæ verbales interdum commodè & argute ſatis retorqueri poſſint. Quemadmodum enim nos, ſi quem reveremur, aut honore dignum putamus, ad omnem ejus occurſum caput operire, aſſurgere, via decedere, atque ſic ſolis geſtibus honorem pro dignitate cujusvis diſtribuere; porrò, elevatione manuum, incurvatione corporis humilitatem præ nobis ferre, dextrarum itidem conjunctione amicitiæ ſymbolum dare ſolemus; ita quoque ignominiam alteri geſtibus inferre poſſumus. Sic etiam digito aliquid demonſtrando voluntatem meam in perſonam certam, ſive rem directam quoque aperire queo, atque hæc demonſtratio nominis vice fungitur. *l. certum eſt 6. ff. de reb. creditis. l. 6. in fin. ff. de Rei Vindic.* Hocque de Tarquinio ſuperbo hiſtoria Romana tradit, cum quid de *Gabiis* vellet fieri, per ſigna, ſcilicet filio reſpondiſſe: cùm altiorum papaverum capita decutiens, primores ejus civitatis interficiendos oſtenderit.

XLVI. Sic quoque ſecunda retorſionis communiſſima formula eſt; quando convitiatorem nominamus, einen ehren Dieb / ehrenſchender. Cujus formulam Bocerus *Cl. 6. diſp. 1. th. 33. & d.*

*4. diſp.*

4. *disp. th.* 30. & 46. his verbis præscribit: Solches redest du nicht wie ein warhaffter Biederman/ sondern als ein wissendlicher verlogener Ehrenschänder.

XLVII. Tertius tandem, legitimus retorquendi modus est; si idem objectum crimen seu convitium in sinum injuriantis retunditur. Quod tali forma in scriptis fieri solet: Ich wil hiemit angezeigte injurien zu rettung meiner ehren und unschuld retorquiret und zurück geschoben haben/ dero gestalt und also/ daß ich jhn so lange dafür halte/ der Schelm- und Bubenstücke begehet/ biß er auff mich wie recht dergleichen erwiesen habe. Vel ut nuper in retorsione publicâ contra mulierem temerè retorquentem factum memini: Als wil hiemit alle auff mich fälschlich erlogene dinge injuriantin zu rettung meines biß hieher allezeit erhaltenen guten ehrlichen Nahmens semel pro semper in jhren losen leichtfertigen lästerbußen anheimb geschoben haben/ und zwar derogestalt und also/ daß ich sie so lange für eine ehrlose Ehrendiebin und leichtfertige Bübin achte und halte/ biß sie alles daß jenige wessen sie mich in jhrer vermeinten retorsion und schmähschrifft beschüldiget/ wie recht auff mich gebracht und erwiesen. Vel etiam conditionatè rectè concipitur formula hâc ratione: Wofern du mich solches bezüchtigst/ hastu es erdichtet als ein verlogner Man/ dafür ich dich halte biß du solches beweisest: hastu es aber nicht gered/ so

sol auch diese retorsio dir nicht gelten noch schädlich sein. Carp *z. l. 2. tit. 5. resp. 68. n. 8. & seqq.* Observandum verò, hic, in retorsionis instrumento (1) poni nomen conviciatoris. (2) Illatam injuriam verbotenùs cum circumstantiis loci & temporis, exprimi oportet, quæ si omittatur, retorsio nullius est momenti; neque esset, quod legitimè retorqueri possit. Berlich. *d. concl. n.* 33. Harpr. *d. §. n.* 195. Die Injurien/ diffamation und Schmähung / sie sey schrifft- oder mündlich geschehen / sollen wortlich ohne Zusatz und abnehmen erzehlet / und zur Wiederheimbschiebung keine andere Wörter gebraucht werden / als injuriant außgegossen / sintemahl sonsten solche / wann sie injurien von Injuriaten herrührend in sich begreifft / nichtig und ungültig Volckm. *inform. not. part.* 2. *tit.* XXI. *cap.* 82. *n.* 28. Non enim valet remedium, quod morbum morbô cumulat, veterem non tollit, sed novum addit, teste experientiâ. Hinc qui retorquere vult, ab omni injuriâ vacuum habere debet animum. Diximus, iisdem verbis injuriam esse retorquendam; quod tamen intellectum volumus; quando injuriati & injuriantis eadem est conditio, ac utrique eadem crimen competunt. Quod si autem mulier à viro vocetur meretrix, illa virum meretricem appellare non potest, sed licitè respondebit du leugest es wie ein ehrloser Mann (3) ipsa

con-

convicii retorſio libello legitimè inſeri, & tandem (4) is; cui factum convicium, ſubſcribere debet. Harpr. *ad d*, *§*. 12. *n*. 186. *& ſeqq*. His ritè ſic obſervatis, conceptus libellus, qui vulgò dicitur Inſtrumentum, teſtatò ipſi inſinuetur convitiatori; nam retorſio abſenti facta, non aliter valet, quàm ſi retorquens ſchedulam, vel libellum ſive per ſe, ſive coràm Notario & teſtibus conceptum, abſenti convinciatori per literas intimari faciat. Confer. Berlich. *d. concl. n*. 36. quod ſi non mittatur, licèt ipſe aliunde ſciat, retorſionem eſſe factam, illam nullius eſſe valoris docet Dn. Struv. *de vindict. priv. cap X. Aphor. XI. n*. 2. Berlich. *de concl. n*. 36. Hinc tutiſſimum eſt, ut Tabellio libellum cum teſtibus ad hoc ſpecialiter convocatis, nomine injuriati provocati legitimè inſinuet, illius reſponſum deſuper factum ſive accipitur inſtrumentum retorſionis, ſive rejiciatur, diligenter notet, publicum inſtrumentum ſuper iisdem omnibus conficiat, ac principali ſuo aſſervandam tradat. Sed caveat ſibi Notarius, ne retorto in ipſo retorſionis negotio tandem operam præſtet. Joh. Harpz. *d. §. n*. 223. Berlich. *dict. concl. in fin.*

XLVII. Elegans hîc ſeſe offert quæſtio; *an ſi retorquens libellum retorſionis in judicium deferat; Magiſtratus eundem recipere teneatur?* Supra ſub diſſertationis hujus initium diximus, retorſio-

nem

nem esse affectum merè extrajudicialem; unde spontè sequitur ab illâ tanquam ab actu privato omne excludi judicis officium. Sunt Judices, qui ejusmodi scripta recipere prudenter renuunt; Alii satis imperitè recipiunt & in Chartophylacio judiciario inter acta asservari jubent; Alii etiam hoc admittunt, ut, ubi retorsioni injurians non acquiescit & alia reponit, partes de hoc excessu litigare volentes, audiantur. Alii etiam exemplum iis, contra quos retorsio facta est, multò ineptiùs decernunt: quod ipsum nuper memini factum. Sed ejusmodi Judices & ex imperitiâ, vel curiositate nimiâ privatis sese inmiscentes Dn. Mevius *pag.* 5. *decis.* 339. meritò reprehendit, cùm ad retorsionem nihil aut veniæ, aut autoritatis judicialis requiratur; & à partibus pro vindicanda potius injuriâ ideò assumatur, ne prolixis molestiis, litibusque acerbis in volvantur. **Ita** etiam Prudens judex permittere non debet, ut ad judicium deferatur, & quidem eò minus, quod in retorsione est privatæ auctoritatis quoddam arbitrium. Præterea judicis officii est, lites inminuere, non verò occasionem dare, vel facinori fenestram, quin imò januam aperire, quod fit retorsione ad acta admissâ, multò magis copià, ut loquimur alteri communicatâ qui fortè aliàs acquieturus inde excitabitur, ut omnem pro illa diluenda moveat lapidem: Unde partes non solùm

novis

novis discordiis & inimicitiis involvuntur; verùm etiam judicia non parum sentiunt perturbationum, quas evitare, quàm incurrere præstat. Unô verbô, non decet cordatum & candidum judicem ubi & injuriæ conditio & vindictæ jus ipsi nondum constat, præcipiti approbatione alteri velut jus attribuere, alteri præjudicium inferre *l. judices 9. C. de Iudic. l. 1. C. de Execut. rei judicat.* Quod si autem ab una parte libellum receperit judex, nullum est dubium, quin ab alterâ parte, si quæ fortè propter novas injurias contraria retorsio exhibeatur, ni corruptus suspectusque videri velit, etiam recipere teneatur. Fatui enim judicis est, judice Gailio, temerè iis, quæ deformandi gratiâ à malevolis adferuntur, fidem adhibere; sapientis verò, puram & obstructam aurem, absenti relinquere: nec minus reprehendentis, quàm reprehensorum vitam & mores considerare.

XLIIX. *Primarius* verò & præcipuus retorsionis *finis est*, ut fama & honor tàm propriùs quàm alienus in opinione aliorum servetur incolumis. Non enim delinquit, qui propriæ salutis & honoris defensor existit, *l. 3. C. de sicar. l. eum qui 18. de injur.* Retorsio enim est quædam tantùm provoca-

erceatur, & à pluribus cònviciis evomendis absterreatur: vel si pergat, auctoritas per mendacii objectionē deminuatur. Tertius ultrò inde fluit, ut injuriarum actionem evadat & sumtibus parcat.

XLIX. Vtrùm autem legitimæ retorsionis *effectu* tollatur & præpediatur injuriarum actio? nullam planè dubitandi rationem videmus. Licèt contrarium velint Cothm. *vol.* 2. *resp.* 59. *n.* 205. Nebelkr. *Decis.* 18. *incip. mota injur. actio.* Renneman. *d. tr. p.* 2. *th.* 47. Veruntamen communissima & in praxi receptior opinio existimat, quod factâ legitimâ & juri conformi retorsione sic aboleatur verbalium injuriarum actio, ut retorquens non modò nullâ injuriarum actione ab eo, cui facta est retorsio, conveniri, Berlich. *p.* 5. *concl.* 64. *n.* 1. sed ipsemet etiam adversus conviciatorem in judicio, nec civiliter, nec criminaliter agere queat, quod per meram etiam consuetudinem est introductûm; adscitis nonnullis rationibus, quas ex jure depromere solent. Scilicet, quia injuria per retorsionem satis jam vindicata est, & bona fides non patitur, bis idem exigatur. Et inciviliter conqueritur, qui ipse sibi judex & ultor extitit, ac jus dixit, cumque uno ex facto plura competunt remedia, ad unum finem tendentia, unum tollat alterum. Quas tamen id, quod debent, non evincere, ingenuè fatemur. Porrò, retorquens nullâ

ampli-

amplius contumeliâ ſecundùm eandem conſuetudinem, ejusque opinionem eſt oneratus, ſed injuria verbis illata ab ipſo averſa, exiſtimatio defenſa & petulantia injuriantis ſatis coercita eſt: atque ceſſante ſic causâ, ceſſat meritò effectus, qui eſt ad vindictam actio. Mevius in *l. Lub. lib.* 4. *art.* 10. *n.* 7. Peretz *in C. de injur. n.* 10. Dn. Hahn. ad VVeſenb. *tit. de injur. n.* 12. Berlich. *d. concl.* 64. *n.* 38. Struv. *de vind: priv. cap. X. aph.* 12. Unde conſtat, clauſulas haſce à nonnullis, præprimis autē Volckmanno *in form.* 1. & 2. item Harpr. *formul.* 1. libellis retorſionum annexas, ſuper vacaneas ac nullius valoris eſſe: Neben dieſer retorſion wil ich wieder boßhafftige calumniatores alle andere habende rechtmeſſige Sprüche/und gebührende nothturfft: vel: Alle rechtmäſſige mittel und wohlthaten/ vel etiam: alle gebührliche im rechten zugelaſſene actiones, vindicationes weiter wircklich anzuſtellen/mir reſerviret, und darüber proteſtiret haben/ quas etiam rectè improbat Dn. Renneman *tr. de retorſ. p.* 3. *th.* 49.

L. Illud etiam hic obſervandum, quod retorquens moderamē inculpatæ tutelæ excedens, non ordinariâ pœnä, quæ aliàs injuriandi infligitur, ſed

retorſio comparata eſſe debeat, ut nomen & effectum legitimæ retorſionis nanciſcatur: & ſimul prono alveo inde fluit, cùm retorſio maximâ ſui parte ad defenſionem contrà injuriam ſit directa, & defenſio ſaltim malum, quòd infertur, à ſe amoliendum intendat; *retorſionem retorſionis* non poſſe dari, cùm per rerum naturam defenſio adverſus defenſionem non detur: ſed ſemper aggreſſioni ſeu invaſioni opponatur. Quod brocardicum adeò invaluit, ut non tantùm, apud plurimos hoc de jure differentes reperiatur: *retorſionem ſcilicet retorſionis non dari*: ſed ab omnibus ferè Rabulis, juriſque ſatellibus in ſuccum & ſanguinem adeò converſum ſit, ut contrà atrociſſimas injurias ſaltem ſub fallaci retorſionis titulo evomitas, aliam retorſionem opponentem, piaculum committere credant.

LII. Diſſimulare equidem haud poſſumus, nec debemus, accuratè & propriè loquendo, ut jam ex cauſis dictum eſt, *retorſionem retorſionis nunquam dari*, ſed omni de jure non duntaxat illicitam, ſed gravi etiam pœnâ dignum eſſe in injuria temerè perſeverantem; quia injuria ſemel (ſubintellige juſto cum moderamine) repulſa, denuò reverberari impunè nequit. Sed, *quid ſi retorquens nova objecerit crimina, aut ſub retorſionis ſpecie famam & exiſtimationem ſuam atrociter laceſſere*

*non erubescat?* dixeris forsitan, retorsione gravatum re-ctius adire judicem, ne infinitæ reddantur calumniæ: quod ipsum & nos arbitrio injuriati relinquendò haud improbamus quidem; sed nec coram judice inimicitiæ ac calumniæ ilicò finiuntur, sed teste experientiá sœpè cumulantur ac perpetuæ redduntur. Et quæso, quæ lex obstat, quæque necessitas ac ratio suadet, quò minus injuria quælibet, sivè intorquendo, sivè retorquendo; sive quocunque illata sit modo, per novam retorsionem etiam in infinitum retundi possit?

LIII. Sed res omnis quò clarior pateat, sit nobis exemplo Titiùs, vocans Antonium Cucurbitam, & Antonius irâ motùs appellat incontinenti dictum Titium filium meretricis, seu furem. *Quæritur an dictæ injuriæ per retorsionem interpositam mutuò compensentur, & quidem ita, ut nec actioni injuriarum, nec retorsioni locus supersit?* Et videtur Antonius tùm ab injuria tùm consequenter injuriarum se facili modo liberare posse, asserendò, se non tàm injuriandi, quàm defendendi animo verba dicta tulisse, atque sic per supra à nobis ipsis dicta, præsumptionem doli cessare, per *text. in l.3. ff. de injur.* & in *l.14. ff. ad Leg. Cornel. de sicar.* ad quam sententiam nonnihil conferet. *arg. l. ut vim. de Jur. & I. ad Leg. Aquil. l. scientiam 45. §. 4. qui cum aliter. & ad Leg. Jul. de vi publ. & priv. l.1. C. unde vi &c.* Verùm legum istarum ratiunculis tam manifesta injuria temerè contra omnem retorsionis modum eructata palliari planè nequit, cùm haud inficias ibit Antonius, quin sub retorsionis abusu atrocissimam

vindictam suam omnia perversè ac præposterè direxisse. Porrò, Leges pro Antonio allegatæ, loquuntur saltim de iis casibus, cùm injuria realis, ut puta: pugno, gladio, & simili instrumento lætifero simpliciter infertur personæ, vel personæ pro rebus. Et talem violentiam, licitum esse, propulsare in continenti, licèt modus aliquando excedatur, jura permittunt; quia melius est ante tempus occurrere, ne nobismet ipsis statuamus exitum, Ast in proposito casu nulla adfuit violentia ad conservationem rei ac personæ, propulsatione tali indigens, unde ob deliberandi spacium se ita temperare potuisset, ut saltim objectum convicium in auctorem remisisset. Fachinæus *d. l.* Gail. *obs. 100. l. 2.* Non servatis enim retorsionis requisitis, se perperam defendens, non obstante, quod provocatus fuerat, pœnæ obnoxius est. Mevius in Jus Lub. *supr. alleg loc.* Nec obstat *l. 3. ff. de divor. & repud. & l. 48. ff. d. R. I. quicquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum haberi, quàm si perseverantiâ apparuit, judicium animi fuisse*; quia calor iracundiæ neminem defendit ab actione injuriarum *l. si non convicii, C. de injur. & l aut facta §. causa ff. de pœnis.*

LIV. Ex hisce & plurimis aliis rationibus, quas brevitatis studio præterimus, resultat, Titio contra male retorquentem propter novas injurias tam actionem, quàm retorsionem injuriarum, competere; ita tamen, ut intentato uno, alterum cesset remedium, juxta ea, quæ superius dicta fuere. In hoc enim retorsionem cum actione injuriarum, propter injurias verbales competente, convenire, Dd. unanimiter statuunt, quòd ad unum eundemq; finem tendat. Unde clarescit firmissimum esse illud Struvii Nohilissimi JCti argumentum: Contra quem datur injuriarum actio, contra eum & retorsio etiam in infinitum;

nitum; quæ vero axiomatadiligenter attendenda sunt: Nam nulli, qui injuriam verbalem passus non est; competit retorsio, & contra omnes, qui intulerunt injuriam verbalem, locum sibi vindicat. Malè autem procedit hæc regula: cuicunque datur injuriarum actio, illi & retorsio, item hæc: cuicunque non datur injuriarum actio, illi nec retorsio, vel reciprocè. Ratio *Prima* cur hæ propositiones non procedant, hæc est; quia diversa habent principia, unde oriuntur: actio enim injuriarum Juris Civilis est, retorsio vero Jur. Naturalis. *Altera*; quia ex diversa natura principiorum sunt personæ, quibus retorsio conceditur, ab actione verò injuriarum eximitur: ut deportatus. &c.

L V. Deinde pro Titio facit, quod retorsio, sive verbis, sivè scriptis facta, eatenus, quatenus novas continet injurias, modumque defensionis excedit ex communi Dd. sententia neque fit, neque dicatur retorsio, sed *libellus injuriosus seu nova injuria*, quæ aut per actionem, aut novam retorsionem toties, quoties necessum est, etiam vicies retorqueri potest. Richter.*Dec. part. 2. decis. 92. n. 19.* ubi sic ait. *sic quis igitur sub prætextu retorsionis falsa dixit vel scripsit, verbalem me ipsi injuriam imposuisse, propterea retorquendo mendaciam objecit, quo casu contraria retorsione contra mentitam illam mihi injustè irrogatam injuriam, me licite defendere & dicere, vel scribere possum, quod prior retorquens mentitus fuerit.* Quo cum concinnè conveniunt Dn.Harpr. *add.§ hæc actio. inst. n. 219. & 239.* Berlich. *p. 5. concl. 64. n. 54.* ibi (ubi limitat Harprecht.) Idem sæpe nobis lau-

*rit, ratione hujus excessus injuriâ alter est affectus, quam recte retorquere potest.* Cui optimè suffragatur Dn. D. Grafe *tractatu de priv. authoritate classe. III. cap. IV. de injuriis n 8. Etsi verò Retorsio permissa, Retorsionis Retorsio tamen permissa non est, ad evitandam infinitatem Battologiæ: nisi retorquens in retorsione sua novum idq; falsum objecerit crimen.* Approbatur quoq; retorsio retorsionis à Joh. Anton. Weylandt in dissertat. sua de Jur. retors. th. 52. dum ait: *retorsio retorsionis in communi praxi rejicitur, si fiat à nocente, cui verò sub specie retorsionis mentita dicta est, huic enim ratione honoris hæc defensio est concessa*, ubi plures allegat Dd., quorum verba omnia allegare superfluum erit. Si ergò excessus notabilis retorsionis deprehenditur, qui reverâ nova injuria est, quin is retorqueri queat, nullum est dubium. Tantum de Retorsione Injuriarum verbalium pro instituti nostri ratione dixisse sufficiat.



*F I N I S.*